Georgius Olaus,

Carmen Sacrum

In Salutiferam

Domini Nativitatem.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1236 4° (LN 1211)




Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1236 4° (LN 1211)

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1236 4° (LN 1211)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1236 4° (LN 1211)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1236 4° (LN 1211)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1236 4° (LN 1211)



= L. N. 1211.
M
BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1236 4° (LN 1211)

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1236 4° (LN 1211)

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1236 4° (LN 1211)

CARMEN SACRUM IN SALUTIFERAM DOMINI AC SALVATORIS NOSTRI UNICI, JESU CHRISTI, NATIVITATEM; PEDE HEROICO

contextum, & in illuſtri Cattorum Academia publicé recitatum prid. Nat. Chriſti,

á

Georgio Olao Cimbro Hortherſnenſi.

HERBORNÆ
Typis Chriſtophori Corvini.

cIↄ Iↄ xcIII.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1236 4° (LN 1211)

REVERENDO, PIETATE, ERUDITIONE, VIRTUTEQUE PRÆSTANTISSIMO VIRO,

DN. M. MATTHIÆ-JACOBO, EPISCOPO ECCLESIÆ Othonienſis vigilantiſſimo, avunculo ſuo ſummé honorando:

NEC NON

CONSPICUIS, PRUDENTIA, HUMANITATEQUE ORnatiſſimis viris, Dn. Martino Strittio vitrico ſuo cariſſimo: ac Guilhelmo Vormio, affini & amico ſuo integerrimo,

AUTOR S. D. P.

MActe doctrinis, animiq́ue multis
Dotibus, dilecte JACOBE, macte,
Nunc darem gemmas tibi vel toreuma
Arte politum:
Nunc tibi offerrem tripodes, ſed illa, &
Hi mihi non ſunt, nec egenus horum
Es, nec ambis, carmen habere poſcis,
Offero carmen.
Cujus in Muſas animus reclinat
Fervidus, Muſis faciétne digna?
Qui decus magnum eſt, columenq́ue rerum
Grande mearum.
Non minús per care Pater benigna
Mente, ſit quamvis puerile, carmen
Volve, nec ſuavis tibi quod VILHELME
Conſecro, ſperne.
Eſt nihil vanum, nihil audietur
Impium: ſoli mea Muſa CHRISTO
Serviet, cujus nece parta nobis
Palma ſalutis.
Hoc dabo cunis, recitabo CHRISTO
Carmen, at Muſas ſinite has novellas
Sub bono patrocinio quietum
Ducere tempus.
Præpotens ſic, incolumes, beatos
Vos diu ſervet Deus: hinc ad alta
Transferat CHRISTUS Dominus futuræ
Paſcua vitæ.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1236 4° (LN 1211)

EPICUM
DE NATALI JESU CHRISTI.

EN iterum Phœbus feſtum ſolenne reduxit,
Quo Deus omnipotens ſummi regnator Olym-
Eſt homo de caſta (mirandum) virgine natus. (pi
En modó læta dies, en acceptabile tempus!
Hoc quoq; jam vaſto ſummo celebratur in orbe,
Hoc celebrare brevi venio jam carmine noſtro.
Salve læta dies, totum celebranda per orbem;
Salve feſta dies, Lux ſalve, & Imago Jehovæ.
Quisquis ades nunc ergo pius, mox ore faveto
Aſpirans placidé noſtris ſine murmure Muſis,
Tangito plectra lyræ, CHRISTI qui nomine gaudes.
Dicemus laudem, grates, hymnosq; ſonantes
Illi, qui humanæ miſeratus funera gentis,
(Gentis, quæ fuerat ſic reſtituenda per ipſum)
Mortaleis artus æterno fœdere ſumpſit:
Æterni ſoboles patris, Mediator ut eſſet,
Aſſumpſit formam ſervilem, corpore noſtro
Incedens humili verbo, qui cuncta creavit,
Nutu quiq; ſuo factum ſervatq; fovetq;,
Non veritus noſtræ ſibi jungere pondera maſſæ:
Scilicet æterni patris ſedâret ut iram,
Dilueret veteres animi ſordesq; nefandas,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1236 4° (LN 1211)

Quem pater in pœnas ardens ob noſtra vocavit
Crimina, terribilis ligni quæ morte piâret,
Unus pro cunctis qui fata impleret, & ultró
Sanguine depoſito maculatum tolleret orbem,
Qui victo Satanæ imperio vitiisq́ nefandis,
Flammantis nobis portas aperiret Olympi.
O puer, ô princeps, cunctorum ô maxime regum!
Sive mihi centum linguæ ſint, oraq́ centum,
Seu vox angelicæ mihi ſit conceſſa catervæ;
Ipſe tuas nequeo laudes æquare canendo:
Non has Amphion Thebanæ conditor urbis,
Non has carminibus ſat dicet Thracius Orpheus:
Non tamen ingratum, ſi, quæ mea Muſa valebit,
In medium promam: tu ſuſcipe, Chriſte redemtor,
Quæ cano: Magna loquar: non amplũ Cæſaris ortum
Commemorabo, pii pia ſed cunabula Chriſti.
Alme puer, tenuem ne dedignare Camœnam,
Mens tibi, linguarũ non flumina magna placebunt,
Tu mentes noſtras divino Flamine flecte,
Ut tibi ſit laudi profert quod noſtra Thalia,
Te duce digna tui præconia nominis edam,
Et tua mortali referam myſteria voce.
At maris anté ſui rapidis jactata procellis,
Cymbula proſperiore gradu nunc indiget anceps:
Te rogo, vera Dei ſoboles, ſapientia vera,

Carbaſa

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1236 4° (LN 1211)

Carbaſa des placidis, des nunc pater optime, ventis.
Nunc fac ut optata tandem potiatur arena,
Te duce, Chriſte, ſequar, trepidæ ſis navita puppi.
O qui fine carens & principio, omnia comples,
O ſupreme Deus, patris ſapientia ſumma,
Quid, precor, humano de corpore ſumere formam
Impulit, & ſummam cœlorum linquere ſedem?
Nil equidem niſi ſumma patris bonitas, niſi noſtri
Summus amor, caſus hominis non paſſus acerbos.
Debita ſed poſtquam complerunt tempora Parcæ,
Virgo Deum ſacro conceptum flamine fovit,
Ac ſi concipiat tellus minor æthera magnum,
Stella ſuum ſolem quoq; filia caſta parentem;
Hinc ut tota cohors mundi coaleſcat in unum.
Conditor ô rerum pater, ô dulciſsime Jeſu,
Tu, tu virgineum ſemen pede proteris Anguem,
Qui ſe, qui primumq́; hominem, qui perdidit omnes
Mortales: igitur laudem dicemus vbiq;,
Scilicet immoto ſummoq́; Deo ſine fine.
Qui tum juſtitiæ decus irreparabile lapſæ
Reſtituit, ſimul excuſſos in priſtina reddit
Mortales dux ille hominum, ſedemq́; paravit
Cœleſtem, atq; ultró credentibus obtulit aſtra.
Filius in ſeſe mandat deponere culpam,
Ut ſolus reddat toti quod debuit orbi,

Proq́; hominum fundat redimenda ſtirpe cruorem,
Quod precium ſuperet totius crimina mundi:
Filius humanos artus aſſumpſit, & inſons
Omne onus in ſe ſe noſtra vice tranſtulit ultró.
Principio, terræ de pulvere factus Adamus,
Effigiem referens Chriſti rité interiore
Parte ſui, Dominus quem fecerat ipſe Jehova,
Imperio cunctas res ut frenaret, & ipſe
Præ reliquis Princeps factorum, noſceret æquum.
Heu nimis infelix, Chriſti mandata potentis
Non curans, vetitâ decerpſerat arbore pomum;
Ah quantas lacrymas, gemitus, quantosq́; dolores,
Progenuit mundo, Satana impellente magiſtro!
Hinc dolor, hinc ploratus, ineluctabile tempus,
Hinc mundo mortis ſtabat truculenta figura:
Omnes nam cæcis involverat atra tenebris,
Nec revocare gradum gens hæc lacerata valebat.
Ecquid dum peccator homo, quid pulvis inanis
Efficeret? potuítne evadere rurſus ad auras?
Nunquam: ſed potius metuebat flumen Averni.
Ac ſubitó patris tetigit miſerabile pectus,
Auxilium inſtituit lapſis afferre creatis:
Virgineum natum dum miſit ab arce ſuprema,
Ut res mortales, quas ſæva ruina premebat,
Colligeret, Stygiiſq́; homines ſervaret ab undis;

Spon-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1236 4° (LN 1211)

Sponte ſua cupiens ſacra juſſa capeſſere patris.
Filius é cœlo deſcendit patris ut iram
Sedaret, lapſis ferret mortalibus ægris
Auxilium, meliús retró ſublapſa referret.
Quapropter promptus ſubjectum venit in orbem,
Atq; humili gaudens de virgine ſumere corpus:
Inter mortales vitam tranſegit iniquos.
Quæris, cur factum? cur, quæſo, quæris idipſum?
Ipſe ſuam ob culpam fulgentem linquere ſedem
Haud actus fuit: aſt ut nos defenderet atri
A Satanæ imperio, portamq́; aperiret Olympi,
Quam levium impietas hominum ſibi clauſerat anté.
Sed quid ego antiqui memoro monumenta parentis:
Quod perit, incaſſum mortalia vota requirunt,
Quod ſemel amiſſum eſt, nulla reparabitur arte.
Ergo alius vertendus ager mortalibus ægris,
Quem nunc ipſe ſua plantator morte paravit,
Et roſeo tinxit ſudantis vertice guttæ,
Et lateris rima lympha ſaliente rigavit.
Ille quod amiſſum eſt ſummo cum fœnore reddit,
Omniaq́; in melius quondam collapſa reponit.
Nam Deus ipſe novis digeßit cultibus hortum,
Arbor ubi vitæ pandit ſua brachia Chriſtus,
Ex qua perpetuæ cœleſtia dona ſalutis
Carpimus, inq́; fide vitalem mandimus eſcam.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1236 4° (LN 1211)

Salvete ô gratis cœlorum debita regna
Omnibus in Chriſto qui ſpem poſuêre ſalutis!
O bené quod cecidit, quod Adam malé perdidit hor-
O quantum meruit nobis mala culpa bonorũ! (tum!
O quantus datus eſt, qualis pro labe Redemtor!
Summus obit, qui noſtra piat delicta, ſacerdos.
Ergo dies aderat reparandæ prima ſalutis,
Quam toties olim ſancti cecinêre Prophetæ,
Quam toties imis patres petiere querelis:
Intumuit ſacro de flamine virginis alvus,
Stemmate Jeſſeo virgo quæ traxerat ortum,
Abſq; viro genitrix, tandem produxit in auras
Hunc fortem regem, Dominum, qui regnat in ævum,
Nympha viri lectum, tædasq́; exôſa jugales,
Numine divino ſperatum gentibus edit
Meſsiam, fuerat multis qui optatus ab annis.
O ſalve, Lux alma piis, Lux inclita pacis,
Clarior aſtrifero qua nunquam fulſit ab axe,
Salve, qua prodit Salvator & unicus Heros,
Qui regere imperio populos, qui ponere paci
Morem, qui gentem potuit frenare ſuperbam,
Qui reprobo demum lucis primordia mundo
Reddidit æthereâ miſſus de ſede Monarcha.
Hic quotquot Stygias potuêre relinquere portas,
Amplecti lucem quotquot potuêre fideles:

His

His dedit ut fierent cœleſtis patris alumni,
Hisq́; poteſtatem dedit ut ſua regna viderent,
Atq; fide mentis poſſent myſteria in una
Cernere perſona, perfectum hominemq́; Deumq́;.
Non tale hoc vinclum perſonæ ſeparat error:
Nec naturarum facta eſt commixtio: certé
Copula mira fuit, quæ junxit rité ſub una
Perſona binas naturas nexibus arctis:
Hæc ſic conjunctim ſemper latuêre ſub illa,
Ut non ſolvantur, diviſim neutraq́; conſtet.
O mirum nexum! quem ſat narrare Camœnæ,
Quem ratio nunquam proferre humana valebit.
Hei nihil hîc Rhetor, nihil hîc præſtare corona
Muſarum poterit, ſubfriget Phœbus & ipſe.
Tanta queunt nunquam verbis myſteria pandi,
Omnes mortales ſuperant hæc dogmata ſenſus,
Sola fides capit hæc, ſcriptoq́; hæc ſola quieſcit
In verbo, quo nos contentos eſſe decebit;
Nec ſuper his rebus tutum eſt inquirere multa.
Hæc animis perpende tuis opera alta parentis,
Perpende ô mortale genus, mentisq; benignæ
Indicium eſt ingens, ſummi quoq; pignus amoris.
Nam te quid movit ſpectantem incõmoda noſtra,
Imperiis opus ánne fuit deſcendere Olympo,
Et noſtri generis tibi, Chriſte, inducere formam?

Humana in nihilum ſi non natura rediſſet
Victa, parata neci, legem niſi fata tuliſſent,
Ut res mortales extrema in ſorte locatas,
Filius induta mortalis imagine, patri
Colligeret medio, cognataq́; viſcera ſecum
Servaret Deus, ille Deo genitore creatus,
Atq; humeris præ ſe portans ſic fœdere facto
Excuteret gentes ab iniqua lege Tyrannûm.
Ergo etiam Iacidem medio jam in turbine lethi
Verſantem, & gnatos complura ſtupenda docentem,
Accipimus genuiſſe Siloh de virgine natum
Interceſſorem cœli mundiq́; potentem:
Qui ſané de patre Deus, de matre pudica
Verus homo, frater noſter regit omnia pulcré.
Imperium ſine Marte gerit, ſine militis uſu,
Datq́; fidem cunctis verbis; Dux ille furentes
Per turbas dat jura viam conſcendere Olympi,
Æternumq́; ſuis ſubmittit legibus agmen
Collectum de ſtirpe Semi, de ſtirpe Japheti.
Præterea hic gnatus regnans cum patre per ævũ,
Sic geminum genus in perſona ſuſtinet una,
Idem verus homo, ſemper fortis Deus idem.
Sic fieri docuit, ſic fata occulta ferebant,
Fata quidem nullis unquam tollenda figuris.
Sic reparata ſalus, vita & mortalibus ægris:

Sic

Sic quoq; noxa patrum, ſic pœna & ademta per illum,
Primus enim vetita decerpſerat arbore pomum,
Polluerat totum qui magno crimine mundum
Seq́; ſuosq́; omnes ſub Tartara merſerat atra.
Ergo opus, eſſe aliquem, proprio qui ſanguine fuſo
Dilueret meritas pœnas, patremq́; ſupremum
Vnius ob noxam iratum, pacare valeret.
Sed quis erat talis, poterat qui reddere nobis
Amiſſum decus, aut ſcelus hoc qua parte piare,
Et validas Stygiis vires opponere portis?
Sed quis id efficeret? certé non ullus in orbe:
Nî ſoboles patris patriq́; ſimillimns Heros
Humanæ Chriſtus ſumpſiſſet viſcera carnis,
Pro miſeriſq́; necem patienti corde tuliſſet.
Sola hic implevit divini ſcripta rigoris,
Hic ſatis & fecit, patienter cuncta ferendo
Juſtitiæ, hic pœnam pro facto crimine ſolvit:
Hic meritum noſtro vertens á ſanguine culpæ
Supplicium, æterno patri ſit victima grata,
Diraq́; confregit pallentis ſpicula mortis:
Hic vires Satanæ regis lethalis Averni
Oppreßit, dentes hujus confregit amaros.
Nec tantúm Satanam noſtra é cervice removit,
Verúm etiam regnum cœlorum fecit habere.
Hunc decet & fas eſt digno veneremur honore:

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1236 4° (LN 1211)

Teſtariq́; fidem factis: pro munere ſummo
Munera parva damus, prout cuiq; eſt copia rerum,
Huic fas eſt ſacrum ſacram deponere in aram.
Hic Deus eſt qui noſtra regit ſtudia atq; labores,
Tu Sophiæ ingenuas artes in gente piorum
Illuſtrans ſervire jubes tibi Chriſte, tuiſq́;
Pro quibus ut dignum eſt gratantia ſolvimus ora,
Et memores canimus tua dona, patremq́; rogamus.
Ipſe tuas propter laudes, & propter honorem,
Egregias animas & veri & pacis amantes
Æterno auxilio ſervet, ſtudiiſq́; ſecundum
Annuat eventum: ſpes tu tantùm una ſalutis,
Tu requies multis, decus, imperiumq́; parentis
Te penes, in te uno fiducia noſtra recumbit.
Sed tibi quis valeat pro tantis ſolvere grates
Muneribus modò Chriſte Deus, ſpes unica noſtra?
Alme puer, votis patrum qui ſæpè petitus,
Veniſti tandem, Lux, ut, mundiq́; Redemtor
Veniſti tandem, tibi cœlum & ſidera rident,
Et tibi terra ſalit, ſaliens te terra ſalutat.
Te cantant pueri, ſecum inter ſeq́; volutant
Chriſticolæ, feſtoſq́; dies de nomine Chriſti
Gaudent, Meſſiamq; novum venerantur honore,
Cujus ab auſpiciis data priſtina commoda mundo eſt.
Tu ſine principio Dominus ſine fine gubernas:

Virgine

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1236 4° (LN 1211)

Virgine de pura finito es tempore natus.
Tu mundum ex nihilo, nutu tu cuncta creaſti;
In mundum pauper, nudus, contemtus & exſul
Veniſti: tua fac nos copia ditet in ævum:
Vixq́ tuis membris locus eſt conceſſus in orbe:
Cúm tibi ſit mundus, cœlum, mare, & omne creatum;
Te præſepe tamen tenuit per vile, Redemtor,
Te nudum involvit parvo velamine mater,
Qui veſtes præbes cunctis, atq omnia comples
Divitiis, plenusq́ bonis nunc omnia nutris.
Quid moror? & famuli tibi bos aſinusq́ fuerunt,
Pro cunis, præſepe fuit; tibi ſtramina dura,
Pro molli pluma; pro texti velleris uſu
Molle caput fultus ſtipula, atq arentibus herbis.
Te juxta tepidos proſtrata animalia fumos
Naribus efflarunt, poſſent ut pellere frigus:
Dum cuperes nobis ſummam reparare ſalutem.
Teſtes aligeræ legiones deſuper axe
In pratis læti quas conſpexêre bubulci;
Qui magno nato cumulabant gaudia magna.
Illi ut erant moniti Chriſtum in præſepe jacentem
Inveniunt fœdum juxta pecus, inq́ volutum
Faſciolis, & non fruſtrá factum eſſe putandum
Agnoſcunt, ſed non vilem de corpore formam
Aſſumſiſſe Deum, ſpeciemq́ effingere inanem:

Sed fratrem noſtrum: ſtirpiq́; per omnia noſtræ
Perſimilem, præter labem quæ in corpore noſtro eſt.
Pro quibus officiis tibi, qui ſublatus es alto,
Cum patre cuncta regens nos ſancto Flamine comples,
Offerimus grates jam pectore & ore fideli,
Corpore nos animaq́; tuos ſic eſſe fatemur,
Vivimus & morimur tibi ſoli, Chriſte Redemptor.
In te ſpes tantúm poſita, in te fixa manebit.
Ad te confugimus miſeri qui pulvis & umbra
Ingredimur, ſoli tibi ſemper ſolvimus ora.
Alme puer, ſenſim te mentibus ingere noſtris
Care puer, nova templa tibi fac pectora noſtra,
Hìc habita, puer Immanuel, hìc elige ſedem,
Paſce tuum cœtum ſemper per florida Tempe.
Te ſine quod facimus, mancum eſt, Mediator Ieſu:
Te ſine vita jacet, nec ſpes eſt ulla ſalutis.
Tu noſtros ſacro ſenſus accende timore,
Atq; tui quadam nos cognitione beato.
Perfice pœniteat nos vitæ rité prioris,
Atq; novo, fuerit quod rectum, corde ſequamur:
Æterno placeat per te tua turba parenti,
Teq́; fide certa, placido te obſervet amore.
Tu quos omnipotente manu protexeris ultró
Hactenus: hos deinceps conſerves uſq; precamur.
Reſpice nos, bone Chriſte, tuis defende ſub alis,

Nos

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1236 4° (LN 1211)

Nos ale,protege,flecte,doce,qui patris imago es:
Cumq́; ſit afflictis tua mens addicta juvandis
Perpetuó,inter eos quoq; nos digneris haberi.
Quo facto tandem cœleſti pace licebit
Rité frui tecum:tecum per ſecula cuncta
Vivemus placidi,dejecto pondere curæ;
Et nos corde pio reliquos,Salvator,ad annos
Grata tibi meritis pro tantis dona feremus:
Donec in æterno cœtu in cœleſtibus oris
Cantemus meritas tibi laudes pectore & ore.
Gnate Dei,nobis tu regula certa maneto,
In terris curſum,te principe,perficiamus,
Et tandem nacti patris cœleſtia regna,
Tecum infinitos læti vivamus ad annos,
Aſpectuq; tuo gaudentes,Chriſte,fruamur.
Hæc ut contingant nobis,homo,dicito mecum,
Caſto corde tuo,& gaudenti pectore, FIAT.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1236 4° (LN 1211)

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1236 4° (LN 1211)

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1236 4° (LN 1211)

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1236 4° (LN 1211)

1236.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1236 4° (LN 1211)